Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31712
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

operationis rumorem. quos non facile
videat. Exemplum quoque vinearum
quibus nascitur vinum quod letificat
cor hominis. et ecclesiis fidelium
generaliter et quibusque electis spe
cialiter congruit. quia sibi ipsi leticiam
spiritalem iocunditatemque fructificant.
iuxta illud apostoli. gloria nostra hec est.
testimonium conscientie nostre. et sic
psalmista. omnis inquit gloria eius filie
regum abintus. Sanctus hieronimus
hos versiculos ita exponit. Vox
turturis audita est in terra nostra. Tur
tur avis pudicissima semper ha
bitans in sublimibus. typus est salva
toris. et paulo post. statimque turtur
dixit ad turturem. sic protulit gros
sus suos. id est veteris legis precepta ce
ciderunt. et de evangelio vites floren
tes. dederunt odorem suum;

Explicit liber primus. Incipit

II. SECVNDVS.

Surge amica mea.
sponsa mea et
veni. columba me
a in foraminibus
petre. in caverna macerie. Si iux
ta expositionem apostoli. petra erat
christus. que sunt foramina petre. nisi
vulnera. que pro nostra salute suscepit christus.
In quibus profecto foraminibus. columba
residet. ac nidificat. vel cum anima quoque
mitis. vel ecclesia omnis in passione
dominica. spem sue salutis unicam ponit.
cum in sacramento mortis eius. et sese ab
insidiis hostis antiqui. quasi a rap
tu accipitris tutari confidit.
et in eo de eius sobole spiritalium si
ve filiorum. seu virtutum procreare
satagit. Unde beatus hieremias sub
specie moab. hereticos ad uni
tatem ecclesiastice fidei provocans.
ait. Relinquite civitates. et ha
bitate in petra habitatores mo
ab. estote quasi columba nidifi
cans in summo ore foraminis.
Maceria autem que ad vinearum
municionem solet de lapidibus
construi [componi]. unde in esaye cantico
dicitur. vinea facta est dilecto in cor
nu in loco uberi. et maceriam cir
cumdedit. custodiam significat
virtutum celestium. qua dominus ecclesiam
vineam videlicet suam circumdat. ne in
mundorum spirituum. tanquam ani
mantium improborum. possit irrup
tione vastari. Hinc etenim psal
mista. Inmittit inquit angelus
domini in circuitu timentium eum.
et eripiet eos. Et apostolus de angelis
loquens. nonne omnes sunt administra
torii spiritus in ministerium missi propter
eos qui hereditatem capient salutis.
In hac maceria. refugium est sponsa.
et amica christi. quasi columba ca
vernam invenit. cum sancta ecclesia per
auxilium se evangelicum. a diaboli
fraudibus defensandam esse didicerit.
Hortatur itaque dominus eandem ecclesiam.
hortatur animam quamque sibi devo